



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Epistolæ Præpositorum Generalium Ad Patres Et Fratres Societatis Jesu**

**Oliverius, Horatius**

**Pragae, 1711**

XV. Ejusdem ad Provinciales Societatis. Anno 1599. 14. Aug. De usu  
Exercitiorum Spiritualium

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55386](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55386)

Præpositorum Generalium  
Societatis JESU

XV.

R. P. N.

CLAUDII  
AQUAVIVÆ

Præpositi Generalis V.

Decima,

Ad Provinciales Societatis.

Anno 1599. 14. Augusti.

*De usu Exercitiorum Spiritua-  
lium.*

1. **E**T si aliàs sæpe variis occasionibus *Usus SS.*  
 Exercitiorum spiritualium usum *Exercitio-*  
 commendavimus, cùm minimè *rum com-*  
 obscurum sit, quantopere Dominus Deus *menda-*  
 noster ab ipso exordio Societatis nostræ ani- *tur.*  
 marum auxilium hac ratione promoverit;  
 nunc tamen, quando nova se offert occasio  
 ex Directorio Exercitiorum (quod reco-  
 gnitum tandem, aptatùmque juxta deputa-  
 tionem hac de re habitam in quinta Con-  
 gre-

V. 5

gre-

gregatione generali, mittimus in Provincias) nullo modo prætermittendum visum est, quin R. V. iterum majorem in modum hortarer, ut omni studio excitare atque accendere nitatur usum hunc Exercitiorum non solum in Nostris, verum etiam in externis: quandoquidem re ipsa constat, solum Deum per Exercitia, non Religiosis tantum pro cujusque vocatione, sed sæcularibus quoque abundantem spiritum, ipsorum sui captuique congruentem communicari. Quamobrem magnopere optarem, ut Nostris, primum in seipsis frequenti usu illa colentes, idoneos se Magistros redderent, qui eadem postea cum fructu tradere sæcularibus possent.

*Ad hæc  
Confessarii invitent  
Pœnitentes.*

2. Velim etiam Confessariis nostris R. V. seriò commendari, ut pœnitentibus suis, quos aptos judicarent, Exercitiorum usum insinuent: ad eumque capeffendum illos suaviter invitent & excitent: quoniam illi, qui horum fructum semel degustarint, iidem postmodum aptissimi erunt, qui ceteros ad idem desiderium alliciant & inflament: satisque constat in Urbe, ubi Exercitia sæcularibus tradi cœpta sunt, rem Deo beneficio multa cum ædificatione, magnorumque emolumento consolationiq; cessasse.

*Quos be-*

3. His positis necesse erit, ut locorum

Superiores promptos se liberalésque in eos admittendos exhibeant, qui per Exercitia spiritualia juvari cupiunt, ita ut postpositis incommodis, aut etiam sumptibus, quos fieri nonnumquam oportebit, cor dilatent, & spiritualem fructum, qui cum divina gratia speratur, anteponant, alacrique animo promoveant. Nam si parcos in hac re Superiores, & parùm propensos ad admittendum se ostendunt, credibile est paucos ad Exercitia venturos: & Confessarios perspecta Superiorum difficultate, parùm animi habituros, ut suos excitent ad illa flagitanda.

*nigèdè recipiat Superior.*

4. Plurimùm etiam confert, si procuraret, quoad ejus fieri poterit, R. V. ut in singulis Collegiis ac Domibus statuta sint aliquot cubicula, in hunc usum Exercitiorum pro externis designata: atque ut in iis domiciliis, quæ in posterum ædificabuntur, commodo loco fiant ejusmodi cubicula, ita ut Nostris nullo sint impedimento. Et quoniam minimè ignoro R. Vestrae satis exploratum esse, hujus rei pondus ac momentum, quantique ad Dei obsequium, & animarum profectum referat, ut usus hic passim introducatur & ferveat, pluribus verbis id inculcare supervacaneum duco.

*Cubicula in hunc usum designet.*

5. Hoc tamen suggeram, opportunam R. V. occasionem fore, tum in Conferentiis,

*Provincialis pra-*

quas

*dicta ur-  
geat.*

quas cum Superioribus instituet, de modo  
ratione gubernandi; tum in Congregatione  
Provinciali, quando Superiores omnes in  
num coactos habitura est, quibus Professores  
etiam adjiciet, aliósq; quos ipsa censuerit  
cupio summum illis desiderium explicet  
quod mihi Dominus injicere dignatus est.  
Nostros videam re ipsa ferventes, omnino  
studio in animarum auxilium incumbentes  
cujus causâ nos Dominus ad Institutum hoc  
vocavit, & de quo exactam à nobis rationem  
postulaturus est. Eamque ob causam  
Vestra non solum ad id omnes cohortetur  
sed de modis etiam variisq; rationibus  
tractet, quibus juvari plurimas animas liceat  
hanc Exercitiorum praxim illis comendando,  
ac cetera etiam ministeria Concionum,  
Confessionum, & alia quæ ex Instituto nostro  
exercemus, ut ea in seipsis, & in subditis  
cum spiritu ac fervore obeunda curent, &  
ut in omnibus Dominus glorificetur, laudeturque  
cum multarum animarum quaestione  
que lucro. Omnium precibus me valde  
commendo. Romæ 14. Augusti, 1599.

RR. VV.

*Servus in Domino*

CLAUDIUS AQUAVIVA.

EP.